

Dilecto Filio Nobili Viro Principi Orangiæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobiliss vir salutem etc. In tantis tamque diuturnis nobilissimæ istius provinciæ malis præstitimus semper vobis eam charitatem, quam debuimus, ut charissimorum filiorum nostrorum malis angeremur intimis sensibus, eaque gravissime doleremus; neque tamen unquam spem abjecimus voluntatis tuæ in publica quiete optanda, inque iis rebus curandis et restituendis, quas intelligeres ad Dei gloriam, atque ad Catholicæ Religionis dignitatem pertinere. Itaque mandavimus venerabili fratri Philippo Ripæ Transonis Episcopo, nostro isthic et Sedis Apostolicæ Nuntio, ut cum Tua Nobilitate agat iis de rebus, quas ad utramque causam tum Christi, tum istius provinciæ magnopere pertinere judicavimus. Ei omnem fidem tribues; quæque ex eo cognosces, a nostra paterna charitate profecta esse existimabis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die viii. Maji MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.